



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

IV. De Subjecto Indulgentiarum capaci; & quomodo prosint Defunctis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

III. Status
gratiæ ex
parte reci-
pientis.

33. Tertiò, ex parte recipientis Indulgentiam, certum est, quòd requiratur status gratiæ: quia homo exiltens in peccato mortali non est capax Indulgentiæ, utpote cum per hanc poena temporalis peccato quoad culpam jam remissò debita remittatur. Quamvis autem nonnulli velint, requiri statum gratiæ etiam tunc, quando opera pro lucrandis Indulgentijs præscripta perficiuntur, atque hoc ipsum in praxi meritò sit observandum, præmittendo vel Confessionem, vel saltem perfectam Contritionem: nihilominus communior, & probabilior est Doctorum sententia, sufficere ad lucrandam Indulgentiam, quòd homo sit in statu gratiæ pro eo intanti, quo ultimum opus præscriptum perficitur, atque Indulgentia consummatur, & ejus effectus est percipiendus. Lugo disp. 27. de Pœnit. n. 83. Maltrius n. 61. Herinx disp. 4. de Satisfactione, quest. 11. num. 77. & alij.

IV. Executio
operis præ-
scripti.

34. Quartò tandem ad consequendum fructum Indulgentiæ, requiritur ex parte lucrantis executio operis præscripti. Ratio est: quia Papa concedit Indulgentiam sub conditione hujus, vel illius operis exequendi; ergo, si opus non perficitur, neque Indulgentia obtinetur.

Indulgen-
tiæ tantùm
valent,
quantùm
sonat &c.

35. Omnes hæ quatuor conditiones aptè continentur in illo vulgato Theologorum dicto: *Indulgentia tantùm valet, quantum sonat, Clave non errante, & Christo non reprobante.* Id est: *Clave non errante*, ob defectum legitimi potestatis, aut justæ causæ conferendi Indulgentias: & *Christo non reprobante*, ob indispositionem recipientis, qui vel non est in statu gratiæ, vel saltem opera præscripta non ritè peragit.

QUÆSTIO IV.

De Subjecto Indulgentiarum capaci; & quomodo
prohinc Defunctis?

Beati in cæ-
lis, & in f. n.
res non sunt
capaces In-
dulgentia-
rum.

36. **C**ONCL. I. Neque Beati in cælis, neque damnati in inferno, neque infantes, aut perpetuò amentes, sunt capaces Indulgentiarum. Ita omnes Doctores. Ratio clara est: quia Indulgentia est remissio poenæ temporalis ex peccatis actualibus quoad culpam jam remissis coram Deo adhuc debita. Atqui Sancti in Cælis non habent talem poenam, etiamnum restantem (quia illuc non intrabit aliquod coinguinatum,

Apoc.

Apoc. 21.) Dammati verò sunt in statu disgratiæ, atque ultimo termino damnationis æternæ: infantes autem, & perpetuò amittentes nullum commiserunt peccatum actuale.

37. CONCL. II. Loquendo de adultis etiamnum viventibus, omnes baptizati, atque in statu gratiæ constituti, & opera in iuncta peragentes, sunt capaces Indulgentiarum; per quas ipsis poena temporalis, peccatis eorum quoad culpam jam dimissis adhuc debita, remittitur non per modum simplicis solutionis, neque per modum meræ absolutionis, sed per modum absolutionis secum habentis annexam solutionem ex communi Thesauro Ecclesiæ. Ita Herincx loc. cit. quæst. 6. n. 55. Mattorius disp. 23. Theolog. Moral. num. 10. Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs, cap. 5. Suarez, & alij. Prior pars patet ex dictis num. 33. & seqq.

38. Altera pars probatur ex eo: quia per Indulgentias hinc dispensatur spiritualis Thesaurus Ecclesiæ, sicque intervenit solutio; illinc verò in dispensante requiritur iurisdictio, qua possit alteram solvere, & consequenter simul intervenit absolutio. Unde Pontifex c. Quod autem. de Pœnit. & remiss. loquens de Indulgentijs, sic ait: Cum à non suo Iudice ligari nullus valeat, vel absolvi: remissiones predictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut profint, propriij Iudices specialiter indulserunt. Notaly, vel absolvi; & ly, propriij Iudices.

39. CONCL. III. Adulti necdum baptizati, proprio tamen actu contritionis, sive Baptismo flaminis justificati, v. g. Catechumeni etiamnum viatores, non videntur esse capaces Indulgentiarum. Ita Mattorius loc. cit. num. 55. cum communi, & probabili Theologorum. Ratio est: quia tales, per januam Baptismi, actu recepti, nondum sunt ingressi Ecclesiam, neque adhuc ejus iurisdictioni subditi: atqui Indulgentiæ viventibus non profunt, nisi subditis, arg. cit. c. Quod autem. de Pœnit. & remiss. Id ipsum probat praxis, & consuetudo Ecclesiæ, quæ hætenus non nisi Fidelibus, hoc est, jam Baptismi Characterem insignitis, concessit Indulgentias concedere.

40. Additur notanter, Catechumeni etiamnum viatores. Nam loquendo de ipsis in statu gratiæ jam defunctis, satis probabile est, prodesse eis Indulgentias per modum Suffragij: quia Defunctis conceduntur Indulgentiæ non per modum absolutionis iudicialiæ, sicuti vivis; sed per modum suffragij, prout illico amplius declarabitur: hinc sit

Bene tamen
Baptizati
viventibus
adulti.

Hæ ipsis applicantur
per modum
absolutionis
habentis
annexam
solutionem.

Catechumeni, an sint
Indulgentiarum
capaces?

Quid de
ipsis piè de
functis?

41. CONCL. IV. Animæ Fidelium in gratia defunctorum, & ob restantem pœnam temporalem suis peccatis debitam in Purgatorio existentium, sunt capaces Indulgentiarum; quamvis hæc eisdem non applicentur per modum absolutionis (sicuti fit respectu viventium) sed per modum suffragij, habentis simul annexam solutionem ex communi Thesaurò Ecclesiæ. Prima pars est certa, & patet ex receptissima praxi Ecclesiæ, atque communi sensu Fidelium; ac desumitur ex illo Articulo Symboli Apostolici: *Credo Sanctorum communionem.* Ratio posterioris partis est: quia Summus Pontifex, Christi in terris Vicarius, non habet jurisdictionem in Defunctos, sicuti in Fideles viventes; non enim Christus, *Matth. 16.* promisit D. Petro, ejusque legitimis Successoribus, potestatem absolutè solvendi quodcumque, sed cum limitatione: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.*

42. Et hinc fit, quòd Romanus Pontifex, sive per se, sive per alios, quibus id commiserit, Fidelibus etiamnum viventibus conferat Indulgentias vi Clavium, ac per modum absolutionis, simul tamen habentis annexam solutionem ex Thesaurò Ecclesiæ, ut jam dictum. Verùm defunctis non sic confert Indulgentias per modum absolutionis judicariæ, sed duntaxat per modum Suffragij, habentis tamen annexam solutionem ex communi Thesaurò Ecclesiæ; quatenus offeruntur Deo Patri infinita Christi merita, & satisfactiones Sanctorum, per modum condigni pretij pro liberatione Fidelium Animarum è Pœnis Purgatorii, additis precibus, ut eadem pro harum liberatione misericordissimè acceptare velit. Et hoc denotat clausula illa communiter inserta Brevibus Apostolicis, concedentibus Indulgentias pro Defunctis per modum Suffragij, prout communior Doctorum explicat; quamvis nonnulli aliam ejus explicationem afferant, uti videre est apud Fillicium *tom. 1. tract. 8. c. 8. n. 204. & seqq.* Verùm occasione prædictorum.

43. Quæres, an Indulgentiæ pro Defunctis, certò & infallibiliter illis prosint, quibus applicantur? Non desunt, qui hoc negent. Siquidem effectus Indulgentiarum pro Defunctis dependet ex liberali acceptione Dei: atqui credibile est, quòd Deus faciliùs acceptet Indulgentias applicatas pro ijs Defunctis, qui ex hac vita decesserunt magis digni tali gratiâ, utputà quia in vivis fuerunt magis solliciti in acquisitione Indulgentiarum, & oratione pro Defunctis. Nam, ut in simili de Missæ Sacrificio,

Animæ Pur-
gatorii sunt
capaces In-
dulgentia-
rum, sed per
modum
Suffragij.

Indulgen-
tiæ aliter
conferuntur
vivi, aliter
Defunctis.

Clausula,
Per modum
Suffragij,
quid deno-
tet?

Indulgentiæ,
an certò
prostat illis
Defunctis,
quibus ap-
plicantur?

Rationes
sententiæ
negativæ.

cio, orationibus, atque elemosynis, inquit D. Augustinus lib. De cura pro mortuis, cap. ult. & refertur c. Non ætitemus. 13. q. 2. Non pro quibus fiunt, omnibus profunt; sed his tantum, quibus dum vivunt, comparatur, ut profint. Et his similia habet idem S. Augustinus, relatus c. Tempus. 13. q. 2. Idipsum videtur suadere praxis Ecclesiae, ac sensus piorum Fidelium, sæpius applicantium Indulgentias pro una eademque Anima Purgatorij. Et pro hac sententia citantur Durandus, Cajetanus, Canus, Corduba, & quidam alij. Verum his non obstantibus,

44. Resp. Indulgentiæ ritè acquiræ, & pro determinata Anima ex intentione Summi Pontificis applicatæ, secundum ordinariam Deilegem certò ac infallibiliter profunt eidem; ita, ut Anima illa de Thesaurò Ecclesiae per modum Suffragij sibi applicato, juvetur vel ad totalem remissionem pœnæ, & liberationem è Purgatorio, si Indulgentia fuit plenaria; vel partialem, si hæc erat partialis. Ita Rodericus tom. 2. qq. reg. quest. 97. art. 3. Gobat tract. 4. Quinarij, num. 483. & seq. Fillucius loc. cit. num. 205. atque Mastrius disp. 24. Theolog. Moral. num. 47. asserens, hanc esse communiorem & probabiliorem sententiam.

Affirmativa est probabilior.

45. Desumitur data responsio ex modo loquendi Summorum Pontificum, qui in Brevibus Altarium Privilegiatorum concedere solent, ut quicumque Sacerdos, servatis servandis, ac diebus in Brevispecificatis, Missam Defunctorum pro anima cujuscunque Fidelium Defunctorum, ad prefatum Altare celebrabit, anima ipsa de Thesaurò Ecclesiae per modum Suffragij Indulgentiam consequatur; ita ut Domini nostri &c. suffragantibus meritis, à Purgatorij pœnis liberetur. Ubi ponderandum ly, pro Anima cujuscunque, ac ly, Anima ipsa, &c. nam hujusmodi locutio promittit liberationem Animæ determinatæ è Purgatorio. Accedit ratio: quia ex una parte, quælibet Anima Purgatorij est capax Indulgentiarum; cum existat in statu gratiæ, sitque Deo conjuncta per charitatem: ex altera parte Deus non solet sinere, ut preces Ecclesiae sint irritæ; simulque Communio Sanctorum sese extendit etiam ad Ecclesiam Purgantem, sive Fideles in gratia sanctificante decedentes, atque existentes in Purgatorio.

Fundamentum ejus,

46. Nec obstant rationes prioris sententiæ. Ad primam siquidem negatur consequentia: etsi enim credibile sit, Deum non solum alia Ecclesiae Suffragia, utputà Missæ Sacrificia, orationes, elemosynas, & jejunia, sed etiam Indulgentias genera-

Solvuntur rationes in oppositum.

liter pro Defunctis applicatas, facilius admittere pro illis, qui in vita fuere studiosi Indulgentiarum, ac ferventiùs memores piarum Animarum; id tamen de Indulgentijs pro hac determinata Anima applicatis (secundùm legem Dei ordinariam) non videtur dicendum. Ad D. Augustinum potest responderi eodem modo: nisi dicere velis, Sanctum Doctorem ita locutum fuisse ad excludendum valde malos, sive decedentes in statu peccati mortalis, qui dum vixerunt, ob statum suum peccaminosum non promeruerunt, ut Indulgentiæ atque Suffragia Fidelium sibi post mortem prodesent.

Cur diversæ
Indulgentiæ pro eadem Anima applicentur?

47. Ad ultimum dicitur, diversas Indulgentias pro una eademque Anima meritò applicari: tum quia non constat, an Indulgentia pro tali Defuncto hic & nunc ritè obtemperata sit, & nulla ex conditionibus ad ejus validitatem requisitis defuerit, v. g. iusta causa concedendi tales Indulgentias, celebratio numeri Missarum pro valore Altaris Privilegiati præscriptarum, &c. Tum quia ignoratur, utrùm non ob peculiarem causam Deus voluerit respectu talis Animæ exceptionem quandam facere à lege sua ordinaria, ipsique pro nunc, juxta inscrutabilia judicia sua, negare fructum Indulgentiarum sibi applicatarum. Tum tandem, quia allata nostra responsio est quidem probabilior, atque communior inter Theologos, sed non omninò certa; ac proinde meritò pro iisdem Animabus reiterantur Suffragia, Missæ Sacrificia, atque Indulgentiæ. *Meliùs enim supererunt ista eis, quibus non obsunt, quam eis deerunt, quibus profunt, ut loquitur D. Augustinus, relatus cit. 6. Non estimemus. 13. q. 2.*

Q U Æ S T I O V.

Varia Dubia circa Indulgentias breviter solvuntur.

Ad lucrandas Indulgentias, an sit necessaria Confessio?

48. **Q**Uæritur I. Utrùm ad lucrandas Indulgentias semper sit necessaria Confessio Sacramentalis? Resp. I. Si in concessione Indulgentiarum non expresse præscribatur Confessio, certum est, eam non requiri actualiter; sed sufficere, ut Indulgentiam lucraturus existat in statu gratiæ, aut præmittat contritionem perfectam de peccato mortali, si quod habuerit.